

In var. d, signaturae nigrae dilatatae confluentes; vitta media antice aut cum macula scutellari connexa, aut illi approximata, ut et cum maculis marginalibus confluens; ante apicem fascia lunata lutea, suturae conjuncta, saepe angusta, et ipse apex luteus.

In var. e, color niger dominans; sutura et apex anguste, macula humeralis et duae minores intra-marginales tantum flava supersunt.

In var. f, elytra tota nigra, modo sutura versus apicem anguste et macula parva sub humero flava.

33. *L. borealis*: angustior, nigra, punctulata, thorace lateribus tuberculato, elytris fascia obliqua baseos, arcu medio maculaque intra apicem, flavis.

*Leptura interrogationis* var. ζ, Payk. Schönh. Syn. 3. 491.

Habitat in Finlandia. Dom. Pfeiff. Mus. Dom. Schönherr.

Affinis quidem *L. interrogationis*, diversa tamen videtur, longe minor, praesertim angustior, *L. melanurae* aequalis; praeterea subtilius punctulata, elytrorum [signaturae] aliae, antennae, tibiae et tarsi fusco-testacei etc. Caput oblongum, anterius angustatum, nigrum, punctulatum, fronte leviter canaliculata, ore testaceo-variegato; oculi brunnei, parum emarginati. Antennae longitudine corporis fusco-testaceae. Thorax oblongus, intra basin et apicem late sed parum profunde constrictus; lateribus rotundatus et tuberculo parvo obtuso armatus, basi bisinuatus, angulis rotundatis, supra convexus, obsolete canaliculatus, crebre subtiliter punctulatus, tenue pubescens, totus niger, opacus. Scutellum triangulare acutum nigrum, vix punctulatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris elevatis rotundatis, thorace quintuplo longiora, posterius valde angu-

angustata, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, subtilissime confertim punctulata, tenue pubescentia, nigra, signaturis variis flavis notata; ab humero nempe fascia abbreviata, utrinque emarginata, oblique versus suturam ducta; in medio arcus magnus, apertura extrorsum spectante, nec marginem neque suturam attingens; longe ante apicem, suturae propius, macula mediocris angulata, omnia laete flava. Corpus subtus nigrum, punctulatum; densius cinereo-pubescentis. Pedes elongati, femoribus nigris, tibiis tarsisque fusco testaceis.

Obs. Species ultimae, propter tuberculum laterale thoracis, transitum ad familiam sequentem parant.

Fam. 2. Thorace utrinque spina vel tuberculo acuminato armato.

34. *L. 4-maculata*: nigra opaca, cinereo-pubescentis, antennis longitudine corporis, elytris pallidis, maculis quatuor rotundatis nigris.

*Linn. Fabr. Oliv. Payk. Schönh. Syn. 3. 488. 45.*

Var. *b*, maculis duabus anterioribus elytrorum deficientibus.

Habitat in Finlandiae, Bothniae silvis, etiam in Scania, var. *b*, raro occurrit.

Statura fere *L. rubro-testaceae*, et magnitudo pari modo variat. Caput oblongum, inaequale, nigrum, opacum, griseo-pubescentis, confertim punctatum, oculis prominulis brunneis, interne emarginatis. Antennae longitudine corporis, totae nigrae. Thorax valde inaequalis, juxta apicem late profundissime constrictus, margine apicis alte elevato, rotundato; lateribus rotundatus, utrinque tuberculo acuto armatus, intra basin,